

**Ordinis Ivridici Decanvs Carolvs Fridericvs Winkler D. ... Virorvm ... Henrici
Adolphi Krohn Lvbecensis Et Hermanni Diterici Krohn Lvbecensis Solemnia
Inavgvralia Indicit : Qvaedam Praefatvs De Venditore Ad Facvlтatem Poenitendi
Ipsi Si Decimam Partem Pretii Solverit Ivre Lvbecensi Concessam In Casv
Emtionis Arra Interveniente Perfecte Celebratae Frvstra Provocante**

Kiliae: Litteris Gottfr. Bartschii, [1758]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn892778571>

Druck Freier  Zugang



10
11
12
13



Universitäts
Bibliothek
Rostock




[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn892778571/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn892778571/phys_0001)

DFG

N.C.-197(23.)

P.L.-197(23.)



ORDINIS IVRIDICI DECANVS
CAROLVS FRIDERICVS WINKLER D.

IVR. GERM. ET PRAX. P. P. O.

VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM
DOCTISSIMORVM QVE

21

HENRICI ADOLPHI KROHN

LVBECENSIS

ET

HERMANNI DITERICI KROHN

LVBECENSIS

SOLEMNIA IN AVGVRALIA


INDICIT

QVAEDAM PRAEFATVS

DE

VENDITORE AD FACVLTATEM POENITENDI IPSI
SI DECIMAM PARTEM PRETII SOLVERIT IVRE LVBECensi
CONCESSAM IN CASV EMTIONIS ARRA INTERVE-
NIENTE PERFECTE CELEBRATAE FRVSTRA
PROVOCANTE.

KILIAE LITTERIS GOTFR. BARTSCHII ACAD. TYPOGR.



Quemadmodum omnium pactorum & contractuum ea est natura atque indoles, ut mutuo contrahentium eoque serio declarato consensu coalescant, ita mutuum earundem personarum consensum contrarium eorum dissolutionem operari, ipsa naturalis ratio suadet. Mutua quum ex conventione eiusmodi oriantur iura, mutuaeque inde descendant obligationes, vnum inscio & inuitu altero a contractu recedere haud posse per se facile patet, idemque in contractu emtionis venditionis obtainere, nemo dubitabit. Hunc enim consensu partium rite celebratum leges ciuiles praesidio suo fortiter mununt, quippe illum tam firmum esse rescriperunt Imperatores DIOCLET. & MAXIMIAN. vt de eo alterutro inuitu nullo recedi tempore bona fides patiatur, nec ipsum principis rescriptum alicui hancce impertiri posse facultatem, cuius exercitio ius alterius pacto quae situm laederetur nimis, immo plane auferretur. (a) Venditor itaque, etiamsi duplum pretium offerat emtori, tamen hoc renuente, contractus fidem infringere nequit (b); neque hic illo contradicente ad rescissionem prouocare potest, si vel maxime vel rem traditam restituere & pretium solutum amittere velit, vel ad soluendam contractui adiectam poenam conventionalem paratus sit, ad quam accipiendam vendor haud obligatur, potius iuri suo strenue inhaerens ad adimplendum contractum agere contra eum non prohibetur. (c)

§. II.

Hisce tamen non obstantibus, si res adhuc est integra, pretio nimirum vel toto vel pro parte nondum soluto, neque traditione rei sequuta, leges faciliores se praebent venditori atque emtori, qui conseruationem contractus, illiusque consummationem non adeo curant, utrique interdum poenitendi libertatem certo mo-

)(2 do

(a) L. 3. C. de rescind. vend.

(b) L. 6. C. cod.

(c) vid. CARPOV. in iurispr. for. P. II.

C. 33. Def. 14. n. 7.

do concedentes. Casus huc pertinentes hic explicare omnes, nimis longum foret, & a scopo nostro valde alienum, potius in id solum paullo accuratius inquiramus, quousque vires suas extendat illa, quae venditori in iure Lubecensi concessa legitur poenitendi facultas. Ita vero de venditore, quem contractus initio poenitet, statuit Ius Lubec. L. 3. Tit. 6. Art. 18. Was einer verkaufft an unbeweglichem Gute, das ist er dem Käuffer zu gewehren, oder er ist ihm den zehenden Pfennig von der Kauff-Summa zu bezahlen schuldig ic. Würde aber der Verkäuffer das Kauffgeld empfangen, oder aber auch der Käufer das Haß darauf befahren, so muß zwischen den Contrahenten Kauff, Kauff bleiben, und kan sich mit dem Zehenden nicht freyen. En itaque venditorem decimam partem pretii soluentem a contractu etiam citra voluntatem emtoris liberatum, modo neque pretium acceperit, neque rem venditam tradiderit. An vero venditor, qui arra accepta contractum emtionis celebrait, huius dispositionis auxilio se contra emtorem decimam pretii partem sibi oblatam accipere nolentem, tueri queat, iam vterius pro instituti ratione disquirendum erit.

§. III.

Quodsi verbis Articuli nostri, posthabita omni iuris Lubecensis analogia, neglectis etiam reliquis huius iuris praeceptis inhaerere stricte velimus, adfirmare hanc quaestionem vel inuiti cogimur. Facultas enim poenitendi venditori initio legis simpliciter & generatim concessa, ipsi per verba finem Articuli constituentia duobus saltem in casibus adimitur, si nempe pretium exsolutum, vel res tradita, verbo, si integrum negotium amplius non fuerit. Nonne vero arra data res adhuc est integra? Nonne exceptio firmat regulam in casu non excepto? Nonne legislatores eadem ratione casum arrae datae, si in illo venditoris poenitentiam exulare voluissent, ac memoratas duas exceptiones expressis verbis subiicere potuissent? At vero, quum illius plane

mentio-

Los. C.

mentionem non iniecerunt, nec nostrum est, illum addere, & statutum, quod est strictissimae interpretationis, extendere ad casum non expressum, immo nec cogitatum. Hisce armis instrumentum pugnare video venditorem contra emtorem credulum nimis, qui denario suo arrae loco soluto, omnibus circumuentionibus obuiam iri atque omnes fraudes profligari facillimo negotio posse, confidit. Sed lex ipsi obstat, firmissimum aduersarii praesidium. In auxilium vocat emtor MEVIVM; STEINIL opes & patrocinium implorat. Praefato ipsi sunt hi duumuiri, ad quos tamquam ad commune oraculum configiunt omnes de genuino iuris Lubecensis sensu solliciti. Ille arram acceptam venditorem a poenitentia excludere adfirmat(d); hic eandem sententiam tueri non dubitat(e). Sed venditorem durae ceruicis haec tantorum virorum auctoritas haud mouet. Erroris illos postulat, atque caecum, quo in ius Romanum rapiuntur amorem eos induxisse contendit, vt peregrini huius iuris principiis patrium statutum inquinarent, arrae eundem effectum cum pretii solutione & rei traditione tribuentes, quum tamen illa signum saltem sit contractus consensu celebrati, his actibus autem contractus ita consummetur, vt res pro salua neutiquam haberri, hincque illis interuenientibus nulla ratione a contractu recedi queat. Verba profecto, sine penu atque pecunia. Ita tamen rationes subducere ex Actis iudicialibus e Stralsundia superiori anno ad Collegium nostrum missis memini molitorem, qui molendinum duobus imperialibus arrae loco ab emtore acceptis vendiderat, & variis quibus subfodere firmissimum contractus fundamentum conatus erat artibus frustra adhibitis, denique decimam partem pretii offerens ad dictum iuris Lubecensis palladium refugiebat.

(d) MEVIVS in Comment. ad Ius Lub. L. 3. Tit. 6. Art. 18. n. 9.

(e) Dn. STEIN Abhandl des Lüb. R. P. III. Tit. 6. §. 145. sq. p. 229. sq.

§. IIII.

Tota res, nisi omnia me fallunt, a decisione quaestionis pendere potissimum videtur: quales arram contractui emtionis perfecto accedentem sequi debeant effectus? Hic vero fluctuare mirum in modum Doctores videmus, praesertim illos, qui absque solida iurisprudentiae vniuersalis cognitione ad Sacra Themidos accedere non erubescunt. Plena hic sunt dissensionum omnia, ita ut certum quid de arrae effectu ex Iuctorum scriptis statuere, valde difficile videatur. Sunt enim, qui putant, arram emtioni imperfectae, nimirum pacto de vendendo, vel emtioni secundum partium conuentionem in scriptis celebranda ante scripturam accedere numquam posse, sed supponere semper contractum perfectum & facultatem poenitendi tribuere ita, ut emtor poenitens arram datam amittat, vendor resiliens illam duplicatam restituere cogatur, praesidium huius sententiae in *Pr. I. de contrah. emt. & in L. 17. C. de fid. instrum.* nec non in tacito partium consensu potissimum quaerentes, qui in hoc, ut cum arrae iactura a contractu vtrique recedere liceat, conspiraret. (f). Alii e contrario distinguendum esse censem, vtrum contractum perfectum, an vero nondum perfectum arra comiteretur. Posteriori casu ius poenitendi cum arrae dispendio vel dupli restitutione admittunt; priori autem casu, quum ea sit arrae natura, ut negotii principalis non infirmandi, sed potius confirmandi gratia interueniat, tacita vero de illa facultate partium conuentio absque legum auctoritate & citra contrahentium intentionem fingi temere nequeat; praeterea arrae datio, quae non ad essentialia, sed accidentalia emtionis venditionis spectet, indolem contractus haud mutare & efficere possit, ut contractus, cui accessit

(f) Ita praeter BESOLDVM, RVT-
GERVM de RVLANDVM, MYSIN-
GERVM, SCHNEIDEWINVM, ZASI-
VM, HYNNIVM, BRUNNEMAN-
NIVM & alios statuit THOMASIVS
in *Diff. arris emtionum*, cui adstipulatur LEYSERVUS in *Medit. ad D. Spec. 204. med. 1.*

accessit iam perfectus, minus perfectus sit; facultatem poenitendi prorsus exulare volunt, & quod mireris, pro fundanda & stabienda hacce opinione ad easdem a prioribus citatas leges, optimo tamen, vti nobis videtur iure prouocant (g).

§. V.

Sive autem huic, sive illi subscribere quis velit sententiae, nobis sane perinde erit, quum vtriusque defensio ad nostrae quaestio[n]is decisionem parum conferat, quae potius ex eo, quod ius Germanicum, & praesertim ius Lubecense de arrae effectu statuit, robur suum accipere debet. Quum autem arra & mercipotus Germanorum, multifarie differat ab ea, quae in legibus Romanis circumfertur arra, (h) ita haud mirandum etiam foret, si forsan haec iura ratione effectus arrae inter se discrepant. Hoc extra dubitationem omnem positum est, ius Germanicum hac in re incertitudine nulla laborare, neque illas admittere contradictiones, quae iuris ciuilis interpretes secant & in diuersas plane trahunt partes. Ius Lubecense sane nullam hic relinquit ne quidem dubii speiem, quippe quod L. 3. Tit. 6. Art. 6. clarissime disponit: Wann einer auf gethanen Kauf, Pact, Miete oder Dienst den Gottes-Pfennig oder Arram gibt, so ist solches alles kräftig, Es wäre dann, daß also fort, bald und eher sie sich scheiden, in continent die Arra wiederumb zurück gegeben oder gefordert würde. Quilibet, qui non obducere tenebras rebus clarissimis

(g) Praeter DONELLVM, CARPOZIVVM, VINNIVM, WESENBEVICVM & CHRISTINAEVUM hanc opinionem tuentur STRUVIUS in S.I.C. Exercit. XXIII. th. 22. HYBERVS in p[re]elect. ad Instit. tit. de contrah. emt. STRYCKIVS in Vf. mod. Dig. tit. de contrah. emt. §. XI. LAVTERBACH in Colleg. theor. pract. tit. eod. §. LXVIII. & in diff. de arra Sect. II. §. 101. seqq. PESTEL

in Diff. de arra contractibus vulgo addici solita. §. III. seqq.

(h) Scite hoc atque pererudit ut omnia tradit Vir de iurisprudentia Germ. insigniter meritus ill. DREYERVS in Diff. de differentiis iur. Rom. & Germ. in arris emtionum, cuius partem posteriorem magna cum audiatae prestolamus.

rissimis amat, concedere inuitus tenebitur, secundum hanc legem hoc arram operari debere, vt illa data atque accepta, neque in continent, antequam ad alia negotia partes peruererint, reddita vel repetita, statim contractus perfectus & irrevocabilis esse debeat ita, vt nil nisi mutuus consensus dissolutionem eius producere, vnum vero contrahentium inuito altero ab illo resiliere nequeat, quamuis vel arram amittere, vel eius duplum soluere velit. Ne autem quis reuiores iuris Lubecensis, quos temerario satis ausu multa huic iuri de suo addidisse, varia illi detraxisse, immo hinc inde iuris ciuilis & Canonici principiis, quibus forte turgescabant, interspersis illud deformasse, nouimus, falso cum Thomasio suspicetur (i), quasi hoc quoque in passu noui quid sanxerint, vel a veteris & genuini iuris Lubecensis dispositione fecerint diuortium, non abs re erit, verba Codicum antiquissimorum huc pertinentia proferre. In vetustissimo huius iuris Codice in membranis exarato de A. 1240. qui in cancellaria ciuitatis Lubecensis adseruatur, haec dispositio ita exprimitur (k): *so we, so deme andern gift des hiligen geystes pennine, up enen kop, oder up en gelouede, dat is also stede, alse he hebbe den lit-kop gegeuen. It ne si also dat er en den pennig weder geue, oder de andere ene weder esche, er se sic vullen scheden.* In Codice iuris Lubecensis de A. 1243. legimus (l): *si quis denarium sancti spiritus super contractu, vel mercatione aliqua, quantumcunque excellenti vel mediocri erogauerit, idem est ac si mercipotum dederit. Si vero uni eorum emptio displicet, antequam pedem mutauerit, denarium Sancti Spiritus aut restituere aut recipere poterit, quod pede mutato neuter eorum facere poterit.* Denique in Codice cum ciuitate Dantiscana communicato de A. 1266. sequentis tenoris verba inueniuntur (m): *Si quis dennarium Sancti Spiritus super contractu*

vel

(i) In Diff. cit. §. 69.

(k) Apud Perill. Dominum de WESTPHALEN T. III. Monum. ined. p. 648.

(l) Ibid. p. 629.

(m) Debemus hunc iustitiae Lubecensis priorem fontem Viro Summo

vel mercatione quadam eueherie vel mediocrei erogauerit, idem est ac si mercipotum exhibuerit vel dederit. Quanta vero fides Articulo iuris Lubecensis illi accedat, cuius consonantia cum exemplis Manuscriptis & authenticis doceri potest, & quantum huius rei inter sit praeferendum ciuitatum hocce iure donatarum, Holsatistarum in primis & Cimbricarum, illi lubenter largientur, qui in pugna codicis reuisi atque vetusti, huius dispositionem illius narratis praeferebant esse, cum cordatoribus & sanioris doctrinae Ictis persuasum sibi habent. (n)

§. VI.

Egregius quoque est in hac materia aliarum legum Germanicarum & Germanicae populorum originis concentus, & amicabilis conspiratio. *Ius prouinciale SVEVICVM* cap. 47. §. 2. ita praecipit: Und gibet einem Mann ein Gut zu kauff, vnd gibt er mir sein Leihkauff (o) daran, vnd das Gut bleibt in meiner Gewale, vnd es wird mir gestohlen, der Schad ist sein vnd mein nicht, hab ich sein gehütet, als ich von recht thun sollt. *Antiquissimum ius BRUNSVICENSE* Part. III. Art. XXXXI. sic loquitur (p): swar lüde kopen redeliche mit Goddespenningen, vnde winkope, erer neyn mach des wederkomen, oft de winkoper lüde des bekennen. Pari ratione disponit *ius STADENSE* de A. 1270. P. VII. §. 26 (q): So wann ein Mann kost einen Koop, unde Godespenning darup gift, de Koop schall to recht stede wesen, is et warende have. Et *HILDESIENSE* (r): Si quis aliquid emit et dat mercipotum, nec emtor nec venditor potest

DREYERO, qui Codicem illum in das luminis auras prodire iussit in der Sammlung vermischter Abhandlungen der deutschen Rechte und Alterthümer, wie auch der Critik und Historie T. I. p. 443.

(n) Vid. Ill. DREYERVS in Diss. de formula receptionis iur. Lub. ciusque indole for. in ciuit. Holsat. §. VI.

(o) Verutissimum MStum Vindo-

bonense membranaceum. sin arre; chartaceum autem: sin heftunge legerre, testatur SCHILTER Exercit. XXX. §. 107.

(p) Apud LEIBNITIVM in Script. rer. Brunsuicens. T. III. p. 442.

(q) In Perill. SENCKENBERGII Select. iur. & histor. T. VI. p. 330.

(r) Apud GRYPEN Origg. Hannou. p. 234.) X

veneare, nec non ius antiquum HAMBVRGENSE (s): So wann ein Mann koeft einen Koep, vnde Godes-Penning darup gifft, de Koep schall tho rechte stede wesen, ifset fahrende Have. Nullibi autem clarior haec atque significantius forsan proponuntur, quam in iare municipali FRIEDERICOSTADIENSI P. II. Tit. VIII. §. 6. & 7. Een coopende verkoopinge can sonder Godts penning wel opgericht ende gesloten worden, maer wanneer gemandt op den gedaenen coop eene arrham geest, soo is deselue daer door dies te krachtiger, ten waere dat also datelijck, ende al eer de contrahenten van een ander scheiden de godtspeenick wederom gevordert ende terugge gegeuen wierde, ofte dat een de perfectie ofte vollencomenheydt des contracts noch iets ontbrak. Maer wanneer de coop in allen deelen vollenkommentlick gestorren, ende daerop de godts-peeninck gegeuen ware, soo en staet et geene partie vry, van den coop wederom af to gaen. Addere denique licet locum notatu dignissimum ex legibus SUEO-GOTHICIS Tit. VI. c. I. p. 111. edit. LOCCENIUS: Omne quod quis emit, pecus angularum solidarum & bisulcarum, equum, equam, aurum vel argenum, vel sectum pannum, vel quodcumque tale sit; hoc cum duorum virorum testimonio siet & eodem modo vendetur, & arrha firmabitur, nullusque habebit potestatem renuntiandi aut rescindendi illum contractum. Qui aliter emit, quam ut interueniat arra, revocabile sit, etiam si vobis interfuerint emptioni. (t) Quo magis autem hae leges puritate insigni, & non satis laudanda morum domesticorum custodia omnem alienorum iurium interpretationem vehementer abhorzente sese commendant, eo maior illarum in indagandis, enucleandis & interpretandis legibus Germanicis habenda est ratio. In primis autem multis iuris Lubecensis capitibus ex legibus Sueo-Gothicis lucem adfundи posse videtur, quum ex his tamquam ex fonte puro atque limpidissimo in illud varia promanasse, tum ex instituta vtriusque iuris sedula collatione luculenter adpareat, tum

ex

(s) in Thesaur. iur. prou. & statut.
illust. Germ. T. I. P. I. p. 689.

(t) Vid. quae ad hunc locum com-

mentatus est LOCCENIUS in Synops. iur. Suec. Diff. Xlll. quaest. 17.

ex commerciorum arctissimo vinculo, quod saeculo XII. & sequentibus Sueciae regnum inter & Lubecenses intercessit, facile demonstrari posset.

§. VII.

His ita positis, quis adfirmare nobiscum dubitaret, arras interuentione secundum mores & leges vniuersae Germaniae, poenitentiam & facultatem resiliendi a contractu penitus excludere. Quid quod Germanis arra semper signum fuerit contractus perfecti, numquam perficiendi (u)? At vero contractum perfectum, talem nimurum, cui nihil ex substantialibus deest, quique rite initus est & secundum legum praescripta, unus pacientium contradicente & prohibente altero rescindere nequit. An, quaeſo, maiores nostros, quos simplicitatem primaeuam strenue inseſtatos fuiffe, & fidei datae violationem sacrilegii instar habuisse nouimus, ab hocce iustitiae naturalis principio aberrasse, credendum, immo cogitandum est? An arra in maiorem confirmationem & fulcrum contractus addita, eius interitum parare & efficere potest, ut contractus perfectus, haud sit perfectus? An denique partes data atque accepta arra in liberam a conuentione resiliendi potestatem consenserunt? Noli fingere consensum tacitum, vbi factum deficit congruum, ex quo ille elici debet, multo minus, vbi factum deprehendis contrariam potius voluntatem demonstrans. Quae quum ita sint, nihil restat, quam vt dicamus, venditorem arra accepta, recedere a contractu inuito emtore secundum iuris Lubecensis placita non posse, etsi solutione decimae partis pretii hancce licentiam redimere velit. Quamuis enim in Art. 18. L. 3. tit. 6. iur. Lub. casus arrae datae plane non commemoretur, tamen si rem penitus considerare, neque verba legis tantum captare velimus, ea sine dubio legislatorum mens fuit, ut liceat venditori, refragante etiam emtore, liberare se a fide data, si contractus celebratus quidem, sed non perfectus, neque per signum quoddam externum confirmatus

(u) HEINECCIVS in Elem. iur. Germ.. T.I.L.2. tit. 14. §. 394.

fuerit. Quum enim, ut verbis utar Legis 48. §. 3. D. de aedil. edict. hominum oculi magis creduli sint, quam aures, & facta plus ponderis habent ad voluntatem declarandam, quam verba, omnibus etiam actionibus fere comites dabant symbola quaedam & signa extera venerandi maiores, ex quibus consummatio actus illiusque perfectio statim & sine ambagibus omnibus doceri posset. (w) Ratio autem, cur in casu pretii soluti & rei venditae traditae statutum vendori resiliendi potestatem denegat, in eo posita est, quoniam ex hisce actionibus de contractu celebrato, perfecto atque consummato certo certius constat. At vero eadem ratio est arrae interuenientis, quae tamquam signum & tessera in oculos incurrens contractui emtionis perfecto accedit. Quis itaque negaret, eandem etiam legis dispositionem hic locum habere, & arrae dationem illiusque acceptiōnem vendoris poenitentiae non minus ponere obicem? Praeterea regula in Art. 6. eiusdem tituli generaliter proposita, vi cuius contractus quiuis mediante arra initus omnimodo perfectus esse debet & irreuocabilis, mutata haud censenda est per subsequentem Art. 18. qui potius quum emtionis arrae confirmatae mentionem non iniecit, de emtione absque arra celebrata intelligendus erit, vt adeo normae Articulo sexto praescriptae nihil detrahatur, potius vim illius integrum relinquat atque saluam. Qua de re eo minus dubitari potest, quum semper vna pars statuti ex altera eiusdem parte optimam interpretationem capiat & declarationem, praesertim, quando vna statuti pars regulam continet, quippe secundum quam reliqua statuti membra accipienda & interpretanda sunt ita, ne cum norma semel constituta pugnare videantur. (x) Et hisce rationibus potissimum motus Ordo noster in casu supra §pho quartto memorato contra venditorem sententiam ferre non dubitauit.

Sed contrahenda nobis sunt vela, & accedendum ad id, cuius caussa haec omnia scripta sunt, ad Candidatorum nempe Par eximium atque dignissimum. Alter est:

(w) Conf. STEIN L. c. P. III. L. 3. (x) L. 5. C. de Leg. vid. HARTM. tit. 2. §. 67. PISTOR. L. I. quaest. 33. n. 1. (e)

VIR PRAENOBILISSIMVS

HENRICVS ADOLPHVS KROHN
LVBECENSIS

de commendatissima vitae suae ratione ita exponens:

Patriam agnosco inlytam Lubecam, vbi in lucem editus sum anno saeculi
 huius trigesimo tertio, die trigesimo Maii. Pater fuit HERMANNVS GEOR-
 GIVS KROHN I. V. D. Reip. Lubecensis, quum in viuis esset, Syndicus, Ma-
 ter, CATHARINA ELISABETHA, Viri Magnifici HENRICI BALEMANNI,
 Consulis Lubecensis per viginti annos primarii filia. Aius paternum habui
 Virum Magnificum IOHANNEM ADOLPHVM KROHN I. V. D. Syndicum pri-
 mum Rostochiensem, deinde Consulem Lubecensem. Auos quidem ad seros
 vsque annos mihi seruauerat diuina prouidentia, quorum non solum exemplo
 praestantissimo, sed singulari quoque in me collata benevolentia vti mihi licuit
 adolescenti. Tanto citior Parentum carissimorum iactura. Matrem enim,
 quum adhuc in paruulis essem, Patrem haud ita pridem, quum non exiguae
 esset utilitati eius manuductio, non sine luctu amisi. Nihil reliqui fecerunt
 dilectissimi Parentes, vt a teneris vnguiculis me bonorum Praeceptorum fidei
 committerent, quorum ex institutione hausl quae ad pietatem humanitatemque
 pertinent. Laudo BACKMEISTERVM, KROEGERVM, MÜNDERVM, postea
 verbi diuini Ministros, iam pie defunctos, itidemque Reu. KOHLREIFFIVM
 superstitem, qui linguis artibusque ingenuis animum indefesso labore praepa-
 rarunt. Praeparatus officinam litterariam publicam frequentare coepi & cura
 B. RVETZII, Cel. OVERBECKII, B. LANGII & Cel. SELENII solidioris
 doctrinae initia percepvi. Pro rostris etiam Gymnasticis, quum Aius honoratissimus I. A. KROHN Consul cum Aua amantissima A. 1750. die 28 Aprilis
Vitali in fastis sacro, Iubilaeum gamicum celebraret, de Coniugum iubilant-
 tium felicitate a benignissimo Numine, vero Deo Vitali deriuanda, publice
 verba feci, ante discessum vero in Academiam, recitata oratione, de *Lubeca*
Noua, ac potissimum rebus, quae eius originem reddunt dubiam, A. MDCCIII.
 mense Aprili vale Lycaco Patrio dixi. Pater, quia Syndicatus officium, quod
 gesserat, deposuisset, mecum iuit in Academiam. Elegit Francofurtum ad
 Viadrum, quo, facto per terras Hannoveranas, Brunsuicenses, & Marchicas,
 itinere, veni. Recepit me, qui tunc fasces Academiae tenebat, Ill. POLAC.
 Eundem etiam utramque Mathesin enucleantem audiui. Philosophicas praeser-
 tim disciplinas proposuit Reu. SIMONETTI. Ill. SVRLANDIVM & Cel. CVRT-
 SIVM Ius Naturae docentes adii. Historiarum seriem narrante ill. SVRLANDIO perlustravi. Institutionum & Pandectarum Elementa ab ill.
 BOEHMERO & VHLIO accepi, liuguam gallicam captui accommodauit Mr.

MERCIER. Fluxerat opinione citius biennium, & aliam Viadrinam cum Academia Lipsiensis commutauit, cuius inter ciues me retulit ill. LVDEWIGIVS, Archiater. Ius Ciuale repetendum sumi a spiciois V. C. BACHII & Ampl. SAMMET; hunc quoque iuris historiam docentem audiui. In iure Publico & eo pertinentibus Ducem elegi Cel. ALAND, in iure Canonico MULLERVM, in jurisprudentia Germanica & Feudali HOMMELIVM iuniorem, HOMMELIVM denique seniorem ius criminale explicantem. Linguis quoque operam datus Gallicam Mr. du GASC Anglicanam M. FRANTZEN interpretatus est. In medio studiorum cursu, quum essem occupatus, valetudo Carissimi Patis aquis salubribus usuri, requirebat, ut cum ipso Thermae Carolinas proficisceret. Profectus sum, sed redditum non multo post insequebatur dolor, quo mors Parentis animum maxime affecit. Mense Octobri MDCCCLVI in patriam regres- sus, disciplinis academicis Iuris Lubecensis scientiam, notitiamque practicam addere studui, iam vero in eo sum, ut exantlatis examinibus conscriptaeque Dissertationis pro virili defensione, ex indulgentia Amplissimi ICtorum Kilo- nensium ordinis, in iure honores capessam.

Alter

VIR PRAENOBI LISSIMVS
HERMANNVS DITERICVS KROHN
LVBECENSIS

qui laudatissimum vitae atque studiorum curriculum ipse hunc
in modum depingit:

Natus sum Lubecae, anno huius saeculi trigesimo quarto, ipsis Idibus Decembris, patre HERMANNO GORGIO KROHN vtriusque Iuris Doctore & Reip. patriae dum viueret Syndico primario, matre CATHARINA ELISABETHA, nata BALEMANNA. Auos habui Viros Magnificos, HENRICVM BALEMANNVM I. V. L. & IOHANNEM ADOLPHVM KROHN I. V. D. vtrumque quondam Reip. Lubecensis Consulem, quorum in Remp. merita quo minus iactem, prohibet modestia, hoc praefiscine dixerim, quod maiorum exempla ad virtutem me non potuerint non & litterarum studium egregie excitare. Usus sum ineunte aetate priuata institutione BACKMEISTERI, KROEGERI, KOHLREIFFI, MUNDERI, quorum in alterius symmystae electi locum alter successit. Hinc Gymnasi publici ciuibus adscriptus, ab ore RVTZII, OVERBECKII, LANGII, SELENII, Virorum clarissimorum pependi, quorum in me erudiendo fidem atque industriam, dubito me laudare satis posse. Quale studiorum curriculum vix ac ne vix quidem inceperam, quum medias inter educationis curas praeiatura morte caderet carissima mater, cuius ob iacturam, quem sensi doarem, non adeo imminuit temporum longinquitas. Acciderat anno semisae-

culari

culari die 28 Aprilis, vt Aius paternus cum Coniuge dilectissima ab inito matrimonio quinquaginta annos, rarissimo satis exemplo expleuisset, cui Iubilaeo solemniter concelebrando, vna cum fratre in Gymnasio institui Actum oratorium, vbi ego Symbolum auitum; *In arduis constanter pro virium conditione exposui, precesque pro salute iubilantium pie effudi, ad quas orationes audiendas singulari Programmate, Diatriben de ΣΤΕΦΑΝΟΦΟΡΟΙΣ tum aliis tum etiam Coniugibus, sistente, inuitauit Celeb. a SELEN.* Exactis posthaec tribus annis, quum munitus subsidiis essem, quibus via facilior ad altiora solet aperiri, eo consilio vt iurisprudentiae operam nauarem, abitum parans, mense Aprili A. MDCCLIII, habita oratione: *de Veteri Lubece iuxta flumen Schwartau sita, eiusque originis nominisque ratione, Musis Lubecensibus vale precatus sum.* Eodem fere tempore publico suo munere si abdicauerat pater optimus, cui studiis meis se ducem iungere atque comitem placuit. Patria egreditus vidi Electoratum Hannoveranum, Ducatum Brunsuicensem, & Marchiam Brandenburgensem. Veni Francofurtum ad Viadrum, vbi Ill. PELAC tunc temporis Rectori nomen professus, in numerum ciuim academicorum receputus, & per biennium commoratus sum. Et quia disciplinis praesertim Philosophicis acui solet ingenium, & ad difficiliora quaque preparari, principio quidem hoc egi, vt V. C. CVRTS Logicae, Iuris naturae, & Physicae, Ill. PELAC Matheseos, Reu. SIMONETTI Metaphysicae, Ethicae & Politicae elementa mihi traderent. Historiam imperii Rom. Germ. nec non Historiam statuum Europeae enarrauit Ill. SYRLAND; iurisprudentiae deinde studiosum ius Civile docuerunt Viti Illustris BOEHMERVS & VHELVVS, horis subcessuis, praeante Mr. MERCIER linguae Gallicae operam nauavi. Hos inter labores biennium circumegeram, quum de mutanda litterarum palaestra cogitarem. Non me potuit non tum propter scientiarum aemulationem tum propter morum elegantiam sibi vindicare Lipsia, quo aduentantem iure academico donavit Exper. LVEDWIGVS. Ibi, monstrantibus viam acutissimis ICtis BACHIO & SAMMET scita iuris Civilis semel iterumque repetii, quorum hunc etiam, quum yniuersi iuris Historiam exponeret, audini. Historiam imperii Rom. Germ. iteraui, simulque principia iuris publici cognoui, duce Cel. ADAND, cuius etiam acroasis disputatoriis diligenter adfui. Rudimenta iuris Canonici sub Cel. MÜLLEIRO posui, principiis iurisprudentiae Germanicae & feudalis opera Ill. HOMMELII filii, Criminalis vero Ill. HOMMELII patris cura imbutus sum. Linguae Anglicanae discendae methodum subministravit M. FRANTZEN & Italicae Mr. du GASC, cuius sub moderamine litterarum quoque Gallicarum studium excolui.


Iam quum in eo essem, vt laudatorum virorum musea maxime frequentarem, in dies ingrauecit infirma dudum optimi Parentis valetudo, cui vt fortiorem

tiorum medicinam paeberet, quum Medicorum suas Thermae Carolinas proficieretur, non potui ipsi non esse comes. Sed reducem quantumcunque recreauerit blanda spes, fefellit tamen; morbus alitur, & amisi patrem, quem si non lugere viro, meminisse certe honestum erit. Peracto in alma Philurea sesquianno, in patriam reuersus sum, vnde, consumento anno & quod excurrit, in studio iuris domestici, inque addiscendis prudentiae pragmaticae principiis, Kilonium veni, Amplissimumque ICtorum ordinem decenter rogavi, vt me ad consueta examina admitterent, admisumque & probatum, cui honores in arte nostra conferantur, non indignum iudicarent.

Decenter praestantissimi hi Candidati petierunt, vt ad ea admitterentur, quae a iuris vtriusque Candidatis iura Collegii nostri statutaria flagitant. In scrutinio hanc ob rem cum ipsis instituto, tam in facundis & solidis textuum explicationibus, quam in promptis atque adpositis ad quaesita responcionibus tales se praestiterunt, quales illos fore credebamus, ita vt vnanimi suffragio maxime digni censerentur, quibus cupiti in Themidos castris conferri queant honores. Posterior illorum dissertationem inauguralem proprio Marte elaboratam, Trigam exercitationum ad ius Lubecense sistentem, sub meo qualicunque moderamine d. XXV. Febr. strenue contra reprehendentes defendit. Prior autem dissertationem, propriae etiam diligentiae insignem fructum, de retractu gentilitio iuris Germanici universalis, prouocantem in fundata intentione omnino constitente, me Præside die 1. Martii contra dissentientium obiectiones tuebitur. Quo peracto nihil supererit, quam vt huic summi in vtroque iure honores & ipse Doctoris gradus, illi autem Licentia supremos in iure honores, quandocunque libuerit capessendi, a me Brabeuta eodem die conferantur. Cui panegyri vt MAGNIFICVS ACADEMIÆ PRORECTOR, PATRES ILLIVS HONORANDI, FAVTORES, HOSPITES, SVIS QVISQUE TITVLIS ATQVE HONORIBVS CONDECORATISSIMI, LECTISSIMA QVE GENEROSISSIMORVM AC NOBILISSIMORVM COMMILTONVM CONCIO interesse ne dedignentur, Ordinis iuridici & meis verbis quam diligentissime & peramanter rogo.

P. P. Dominica Oculi, c. 1000 LVIII.

(L. S.)








Image Engineering Scan Reference Chart TE25 Serial No. 011

(o) XIII
VIR PRAENOBILISSIMVS
VS ADOLPHVS KROHN
LVBECENSIS

ssima vitae suae ratione ita exponens:
inlytam Lubecam, vbi in lucem editus sum anno saeculi
tertio, die trigesimo Maii. Pater fuit HERMANNVS GEOR-
G. D. Reip. Lubecensis, quum in viuis esset, Syndicus, Ma-
ELISABETHA, Viri Magnifici HENRICI BALEMANNI,
per viginti annos primarii filia. Auum paternum habui
IOHANNEM ADOLPHVM KROHN I. V. D. Syndicum pri-
mum, deinde Consulem Lubecensem. Auos quidem ad seros
eruauerat diuina prouidentia, quorum non solum exemplo
singulari quoque in me collata benevolentia vti mihi licuit
eo citior Parentum carissimorum iactura. Matrem enim,
nullis essem, Patrem haud ita pridem, quum non exiguae
nauductio, non sine luctu amisi. Nihil reliqui fecerunt
me, vt a teneris vnguiculis me bonorum Praeceptorum fidei
tum ex institutione hausit quae ad pietatem humanitatemque
BACKMEISTERVM, KROEGERVVM, MÜNDERVM, postea
os, iam pie defunctos, itidemque Reu. KOHLREIFFIVM
quis artibusque ingenuis animum indefesso labore praepa-
ris officinam litterariam publicam frequentare coepi & cura
OVERBECKII, B. LANGIT & Cel. S ELENII solidioris
cepi. Pro rostris etiam Gymnaisticis, quum Auus honora-
HN Consul cum Auia amantissima A. 1750. die 28 Aprilis
, Iubilaeum gamicum celebraret, de Coniugum iubilani-
nissimo Numine, vero Deo Vitali deriuanda, publice
cessum vero in Academiam, recitata oratione, de Lubeca
rebus, quae eius originem reddunt dubiam, A. MDCCCLIII.
yaco Patrio dixi. Pater, quia Syndicatus officium, quod
t, mecum iuit in Academiam. Elegit Francofurtum ad
to per terras Hannoveranas, Brunsuenses, & Marchicas,
cepit me, qui tunc fasces Academiae tenebat, Ill. POLAC.
isque Mathesin enucleantem audiui, Philosophicas praeser-
vit Reu. SIMONETTI. Ill. SVRLANDIVM & Cel. CVRT-
docentes adii. Historiarum seriem narrante itidem Ill.
straui. Institutionum & Pandectarum Elementa ab Ill.
ILIO accepi, liuguam gallicam captui accommodauit Mr.
MERCIER.

() (3

MERCIER.